



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XXXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11903**

tate (a) Denstadianâ , Elector Swicardus, (b) Monasterium Regularium, desertum à Canonicis adiecit, sicque residentia (c) in Collegium Societatis evecta est.

## XXXIII.

Frequentes interim conventus (d) cum Saxonibus Civitas habuit, interdum etiam dona submisit, ut de favore certior esset. Cum † Moguntino autem continuatæ lites, & tam profana, quam sacra disputata sunt. Jus tribuum, illas erigendi confirmandique regale Sedes Moguntina sibi hætenus servaverat, hoc Senatus eripere conatur, utque favorem † attentatum haberet, multis de Moguntinis Officialibus queritur, varios in ipsos excessus, & delicta conjicit: è contra Elector † sua jura vindicat, si quid Officiales peccaverint, ad suam id cognitionem pertinere. Nunciat † præterea se vi patrum (e) ante duo sæcula initorum Comitatus Tondorff, & Mühlberg pro dimidiâ parte dato pretio redempturam. Parvi hæc Urbici faciebant, † Dominos se Comitatum istorum, de reluendi jure nihil constare; frustra illis pacta allegantur, qui ut Moguntinis armis in disito loco, sic & pactis eorum prævalere sibi visum sunt. Irritavit Wolfgangum dolus sub-

*Continuata cum Moguntino lites.*

*Senatus de Officialibus querela.*

*Electoris responsum.*

*Nunciat Elector restitutionem Tondorffii & Mühlbergii*

*Senatus renuit.*

(a) 1609. fuitque quindecim millium aureorum.

(b) 1615.

(c) 1619.

(d) MS. Chron. Erfurt.

(e) Vide supra ad annum M C C C L V I I.

ditorum, cumque persecutio juris sui  
difficilior videretur, quam ut exequi pos-  
set, desperatum consilium amplexus est.

\* † Egit cum Principe Saxoniae Friderico  
Wilhelmo (a) Electoratûs ejusdem ad-  
ministratore, eique sub certis conditioni-  
bus jus suum reluendi cessit. Redimeret  
Administrator Comitatus refuso pretio,  
eorumque possessionem apprehenderet.  
Annis quadraginta fructus perciperet, po-  
stea Archiepiscopatu ex integro restitue-  
ret, ac pretium vicissim expectaret. Se-  
creto hæc, etiã postquam Moguntiaë quar-  
to Augusti conclusa essent, habita sunt,  
ut prius ad executionem necessaria, pe-  
cunia scilicet, confirmatio Cæsaris, & a-  
lia pararentur; attamen timuit Civitas,  
quod subsit, & sylvam Tondorffensem  
liberalius succidit. Saxo prohibet, cum  
autem id, quod actum fuerat, propalare  
necdum vellet, jus venandi istã  
in sylvã prætendit; in cujus præjudicium  
nudare lucos fas non esset. Civitas non  
satis ignara, quod aliud ageretur, novam  
litem intendi, novumque jus, quod ne-  
mo majorum hæctenus affectaverit, con-  
queritur. His menses aliquot insumpti.  
† Vigesimo tertio Novembris ab Admi-  
ministratore Legati in Urbe adsunt, ro-  
gantque Senatus deputare quosdam vel-  
let ad breve colloquium, habere se,

\* MDLXII.

*Wolffgæus  
reluendi jus  
sub certis le-  
gibus Saxo-  
ni cedit.*

*Saxo Lega-  
tos mittit  
Erfordiam.*

Q

quæ

(a) Acta hujus rei in Archivis extant locupletissima, & quidem  
Erfordiae in theca viridi compacta.

*Ubi sibi cessit  
significat.*

*Pretium of-  
fert.*

*Erfurtensis  
Responsum.*

quæ nomine sui Principis exponant. Mif-  
sus è Curiâ Syndicus, & duo Senatores  
ad hospitia Saxonum: hi venientibus man-  
data, & quæ hæctenus acta sint, expo-  
nunt: † Electorem Moguntinum, Ad-  
ministratori Electoratus Saxonici jus redi-  
mendi Comitatus Tondorff, & Mühl-  
berg, sub certis legibus cessisse, adferre  
igitur † se pretium olim pro Tondorff,  
& dimidietate Mühlberg Gerhardo Archi-  
Episcopo solutum, scilicet, MCC. mar-  
cas argenti, alteram dimidietatem Mühl-  
bergii redimendam se sibi reservare. Cæ-  
saream etiam Majestatem hæc pacta con-  
firmasse, hæc sigilla, has manus Cæsaris,  
Electoris, sui que Ducis esse, fundari nego-  
tium hoc in aperto jure, atque conser-  
vationem Moguntinorum Dominiorum,  
ipsius adeò fidei Erfurtensis integritatem  
respicere, proinde assensu in id, quod  
jura exigunt, se tam parum dubitare, quam  
iniqua attentata à Senatu metuant. Reip.  
Syndicus ne repentino responso in detri-  
mentum causæ quid loqueretur, copiam  
productorum petit, ut eas præter postu-  
lata Senatui exponere, ejusdemque men-  
tè Legatis referre posset. Annuunt hi  
petitis, & illos pactorum versus, qui ces-  
siones testabantur, edunt, conditiones  
autem sub quibus facta, Moguntinos so-  
lum, non Erfurtenses attinere ajunt, &  
earum editionem negant. Sic eo die dis-  
cessum est. Altero Deputati revertuntur, †  
&

& quam aliena hæc postulata Senatui visa sint, exponunt. Rem arduam esse, in quâ extemporalis resolutio ne peti quidem debeat. † Evolvendum prius Archivum & instrumenta hujus negotii quærenda, libertatem Civitatis in cives diffusam, ut de majoris momenti negotiis omnes deliberent, atque hinc Collegia quinque Senatorum, prætereà tribunos, Opifices, quaterniones, in & extrâ portas convocari oportere, penes eos Reip. summam, & gravissimum præsentis rei momentum stare, hos intrâ tam breve tempus non convocari, minus informari de causæ meritis posse. Ne tamen ignorent Saxones, quid Senatus in præconsultatione, salvo Reip. voto, hac de re senserit; † cessionem aunt, ex defectu materiæ nullam esse, cum Moguntino redemptionis jus non competat, dimidietatem Mühlbergii propriam Urbis, nec à Sede, sed ab Hennenbergensibus, & Schwarzenburgicis emptam, similiter in Comitatu Tondorff multa bona Civitatem, jam olim ante emptionem habuisse, & nunc habere, quæ reuitio non attineat, proinde sibi tanquam communis rei Dominis jus retractus competere, imò cum respectu istorum bonorum subditi sint comitatûs, sine consensu suo fieri cessionem non potuisse, cum inviti subditi alienari nequeant. Ad hæc per Cancellarium Saxones: † Dominium ex utili, non ex vero sibi Erfurten-

*Moras nō  
Etunt.*

*Cessionē im-  
pugnant.*

*Saxones de-  
ferunt.*

ses asserere, qui propriis confessionibus ex literis ad Saxones datis convinci possint, ubi utriusque Comitatus Domini Moguntinae Sedi adscripserint. Esse dimidietatem (a) Mühlbergii non à Moguntino, sed cum ejus licentiâ hoc pacto emptam, ut Sedi redemptio libera quancumque permittatur. Quæ de retractu, & invectorum subditorum alienatione ridicule dicta, huc non pertinere, cum ista omnia in pacto de retrovendendo non atterdantur: † iterum Erfurtenfes: datam quidem reemendi facultatem Sedi, alii, ut literæ dicunt, ex reverentia, & devotione, hæc quia personalia sint, ced non posse, imò disertè ibi legi, ne unquam extraneos isti Comitatus alienarentur; prætereà vigore contractuum integranni quadrante reuisionem prius intimari oportere. Saxones offensi, † num non ante biennium Moguntinus intimari auctoque calore etiam reuisionem alterius dimidietatis Mühlbergii indicunt, imulacervum auri in mensam comportant: ibi pretium utriusque Præfecturæ jacere, præter quod nihil postulare Civitas possit. Post paucos dies scribit Senatui Dux Joannes Administratoris frater, pretium nuper † recusatum Salzæ sub custodia Senatûs in deposito jacere, nullam amplius moram negotium pati, proinde subditis homagium indicendum, cui tam ultæ rei

*Uteriora  
Erfurtenfium  
fundamenta*

*Integræ Mühlbergii reuisionem Saxones indicunt.*

*Pretium ab Erfurtenfibus recusatum Salzæ deponunt.*

*a) Vide supra ad Annum MCCCLVII.*

si Civitas Vasalligio multiplici Ducibus ob-  
 stricta resistat, feloniam fore, non nisi  
 caducitate feudorum expiabilem. Mul-  
 tum his territi Erfurtenses instrumentum  
 publicum ꝑ conficiunt, & in eo super  
 iniquitate rei queruntur: habere se vetu-  
 stissima cum Saxonibus pacta, vigore quo-  
 rum lites ortæ non sic pro Imperio, & vio-  
 lenter, sed missis utrimque arbitris per  
 laudum expediendæ sint. Præterea ꝑ si-  
 mili causa Domum Saxoniam sibi teneri,  
 quæ Kapplendorffensem Præfecturam eâ-  
 dem lege possideat, nec tamen in relutio-  
 nem consentire velit. Petere se fidem  
 majorum, illudque jus, quod Saxones  
 sibi constituunt, in eos retorqueri. Hoc  
 instrumentum mittere per nuncium non  
 ausi, metuculoso consilio clam in Cancel-  
 lariam Vinariensem projici faciunt. Ar-  
 ripiunt hanc injuriam Saxones, & missis  
 causæ meritis eam exaggerant; minantur  
 etiam, sed & interim Saxonica subjectio  
 subditis indicitur. Magna fuit in Urbe ci-  
 vium indignatio: ꝑ hæccine protectio  
 Saxonica esset tot annuis pensionibus em-  
 pta? si fœdus cum Moguntino contra Ci-  
 vitem Duces paciscantur, adigi se ad de-  
 sperata consilia, & illum, quibuscunque  
 modis placandum. Saxones ꝑ ut suæ  
 causæ odium minuerent, à Religione fa-  
 vorem mutuuntur, spargunt, Consiliarii  
 (a) etiam ad primores Urbis perscribunt:

Duces

*Protestatio-  
 nem publicã  
 Erfurtenses  
 in Cancellar-  
 iam Vina-  
 riensem clã  
 projiciunt.*

*Ad edictum  
 quod quisq;  
 juris provo-  
 cant.*

*Civitatis  
 querela in  
 Saxones.*

*HibonoRe-  
 ligionis des-  
 deria sua  
 palliant.*

(a) *Extant litteræ originales in dicta theca viridi.*

*Tondorff &  
Mühlberg  
occupant.*

*\* MDC. III.  
XXXIV*

*Post execu-  
tionem arbi-  
trii eliguntur*

*Erfurtensium  
quinque gra-  
vamina.*

Duces suos non quod fidei majorum in-  
memores, aut quicquam de affectu in ur-  
bem remiserint, sed pro ejusdem bono  
cum Moguntino pepigisse. Hunc Comi-  
tatus suos constituisse armis vindicare,  
quibus cum impares Erfurtenses, lapsis in  
potestatem Moguntinam arcibus actum  
de Religione fuisse. Alii his decepti, pru-  
dentiores fucum adverterunt. Die secundo  
Decēbris farces Tondorff & Mühlberg mi-  
litari manu occupatæ, & sic isthæc omnia  
intra novem Dies festinanter peracta  
sunt.

\* Obtenta possessione † arbitri utrim-  
que nominati, qui controversias dirime-  
rent; Conventum Arnstadii, postea eti-  
am Büdstadii, ubi Erfurtenses ante omnia  
se in possessionem restitui petunt. Saxo-  
nes hanc litem non suam, sed Mogunti-  
nam esse, proinde ad arbitros non perti-  
nere ajebant, si quid autem præter eam fla-  
gitent, se justa omnia passuros. Urbici  
quinque potissimum gravamina adducunt.  
† Dimidietatis Mühlbergii relevationem eā-  
dem penè septimanâ nunciatam, & vio-  
lentæ executioni mandatam esse, quod  
pactis manifestè contrarietur. Secundò,  
præter census aliquos multa se prædia in  
utraque Præfectura habere propria, quæ  
nullis subjecta pactis simul adēpta sint. Ter-  
tiò, pagos Meckfeld, Tieffengruben, &  
Hohnfeld ad Præfecturam Tondorff non  
pertinere, qui tamen cum ea occupati,  
sicque restitui debeant. Quartò, Kapplen-  
dorff-